

*De fornicatione spiritali, ob quam potest dimitti conjux.*

**P**otest tamen licite dimittere: quia in infideli est fornicatio, si non corporis tamen mentis. Causam enim fornicationis Dominus excepit. Fornicationem vero generalem, & universalem intelligere cogimur, non modo scilicet corporalem, sed spiritualem, de qua Augustinus ait (de serm. Domini in monte Lib. I. cap. XII.) „Idolatria, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed non jussit; & sic dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit, non dimittat: potest tamen licite dimittere. Si enim fornicatio carnis detestanda est in conjuge, quanto magis fornicatio mentis, idest (1) infidelitas?“

*Pro quibus vitiis possit dimitti.*

**S**i autem quæris, an propter aliud vitium, nisi propter infidelitatem, vel idolatriam, possit dimitti; attende quid Augustinus ait (Lib. I. de serm. Domini in monte cap. XXVIII.) „Si infidelitas fornicatio est, & idolatria infidelitas, & avaritia idolatria; non est dubitandum, & avaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest à fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est?“ Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum quæ in stupris cum alienis viris, vel fœminis committuntur, sed ob quaslibet quæ animam à lege Dei aberrare faciunt, & pernitiose corrumpi, possit sine crimine & vir uxorem suam dimittere, & uxor virum. Item (de fide & operibus cap. XVI. & habetur causa XXVIII. quæst. I. cap. „Uxor“ „Rectissime dimittit, si viro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congreges, vel nisi solita lenocinia exerceas, aut si quid aliud facinosum, vel flagitiosum à viro suo exspectat. Tunc ille cui hoc uxor dixit, si veraciter penitens est, habetque fidem per dilectionem operantem, membrum quod eum scandalizat, amputabit.“ Ex his apparet quod non solum infidelitas, sed etiam quælibet concupiscentia, quæ pernitiose, turpiterque corrumpit, fornicatio spiritalis est, per quam vir uxorem, vel uxor virum dimittere potest. Consultat tamen Apostolus ne fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare, nec à Deo revocare.

*Si fideli liceat aliam ducere, infideli discedente, vel dimissa.*

**H**ic quæritur, si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis à fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere. Videtur auctoritas testari, quod illa vivente alteram ducere non valeat. Ambrosius enim (Ambrosiaster in I. Corinth. VII.) verba Apostoli exponens, ait: „Alioquin si disceditis ab invicem, & nolentes cohabitare dimittitis, & alii vos copulatis, adulteri estis, & filii vestri qui de hac copula nascuntur, immundi (idest spurii) sunt.“ Item (ex Conc. Meldensi & habetur causa XXVIII. quæst. II. cap. „Si quis.“) „Si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvantur, non conjugia.“

*Que præmissis contraria videntur.*

**S**ED contra Ambrosius (Ambrosiaster) testatur: „Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat. Non enim est servituti subjectus frater, aut soror in huiusmodi, quia non debetur reverentia conjugii ei qui horret auctorem conjugii. Non est enim ratum matrimonium quod sine devotione Dei est; & ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in matrimonium: nec est servanda ei fides conjugii, qui ideo recessit, ne audiret Christum esse Deum christianorum conjugiorum. Si vero ambo crederint, per cognitionem Dei confirmatur conjugium.“

*Determinatio.*

**A**tende, hæc prædictis contraria posse videri, ita ut sibi Ambrosius contradicere videatur. Sed distinguendum est hic, aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi enim lex benevolentie non servatur, hic veritas custoditur: & ideo cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea vivente aliam ducere licet. Discedentem vero sequi non oportet, & ea vivente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum nisi de his qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio conjunctus est, & post alter eorum à fide discesserit, & odio fidei conjugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur: nec tamen illa vivente alteram ducere poterit, quia inter eos fuerat ratum conjugium, quod non potest dissolvi.

*Quidam dicunt conjugium non esse inter infideles, & quare.*

**S**UNT tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse conjugia, quia nec rata, nec legitima est eorum copula: rata non est, quia solvi potest; nec legitima, quia Apostolus ait (Rom. XIV. 13.) „Omne quod non est ex fide, peccatum est.“ Eorum autem conjunctio non est ex fide, & ideo peccatum est. Non est ergo conjugium, quia nullum conjugium peccatum est. Augustinus etiam dicit Lib. I. de adult. conjugis cap. XVI. quia non est vera pudicitia infidelis cum fideli. Sed vera negatur esse

(1) Al. infidelitatis.

pudicitia, non quod infidelium conjugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum quod excusat coitum, & mereatur præmium. Item illud Apostoli, „Omne quod non est ex fide, peccatum est,“ non sic intelligendum est, ut quidquid fit ab infidelibus, peccatum sit; sed omne quod fit contra fidem, idest conscientiam, male fit, & ad gehennam ædificat. Vel in omni eo quod infidelis facit, peccat, non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quo debet, non referens ad debitum finem.

*Quod legitimum sit conjugium infidelium, sed non ratum, & quare.*

**C**opula ergo maritalis quæ est inter infideles, conjugium est legitimum, sed non est ratum. Legitimum, quia est inter legitimas personas, sed non ratum, quia sine fide. Conjugium vero fidelium est legitimum, & ratum, si tamen legitimæ sunt personæ. Quod autem legitima sit infidelium conjunctio, Augustinus testatur, dicens (de fide & oper. cap. XVI.) „Uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit.“ Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem converso Apostolus consulit infidelem non dimittere; quod non faceret, si non esset inter eos legitimum conjugium. Legitimum est quod legali institutione, vel provinciarum moribus; non contra jussionem Domini, contrahitur.

### DIVISIO TEXTUS.

**P**ostquam determinavit Magister de impedimentis matrimonii quæ faciunt personam illegitimam simpliciter respectu cujuslibet personæ, hic determinat de impedimento quod facit eam illegitimam respectu aliquarum personarum, & non respectu omnium; & dividitur in duas. In prima determinat de impedimento quod facit personam illegitimam respectu alicujus alterius personæ propter distantiam ab ipsa, scilicet de disparitate cultus. In secunda determinat de impedimento quod facit illegitimam personam respectu alterius personæ propter propinquitatem ad eam, XL. dist. ibi: *Nunc superest de cognatione aliquid dicere.* Prima in duas. In prima determinat de matrimonio quod est (1) in disparitate cultus fidelis ad infidelem; in secunda de matrimonio quod est inter duos infideles, ibi: *Sunt tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse conjugium.* Prima in partes duas. In prima ostendit quod disparitas cultus præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum. In secunda objicit in contrarium, ibi: *Hic autem videtur obviare quod Apostolus ait de imparibus conjugis.* Et dividitur in duas. In prima ponit objectionem ex verbis Apostoli; in secunda solvit, ibi: *Sed (2) aliud hoc esse, aliud illud, evidenter ostendit Augustinus.* Et circa hoc tria facit. Primo ostendit quod verbum Apostoli, scilicet quod fidelis habet potestatem commanendi, vel non commanendi cum infideli, intelligitur de disparitate cultus qui sequitur matrimonium. In secunda inquirat, utrum propter alia peccata uxor possit dimitti, sicut propter infidelitatem, ibi: *Si autem quæris, an propter aliud vitium, nisi propter infidelitatem, vel idolatriam possit dimitti; attende quid Augustinus ait.* Tertio inquirat, utrum fidelis dimittens uxorem infidelem, possit alteram ducere, ibi: *Hic quæritur, si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis à fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere.* Et circa hoc tria facit. Primo ponit auctoritatem ad partem negativam; secundo ad affirmativam, ibi: *Sed contra Ambrosius testatur; tertio solvit: ibi: Attende, hæc prædictis contraria posse videri.*

### QUÆSTIO I.

**H**IC quærentur sex.

Primo. Utrum aliquis fidelis possit contrahere matrimonium cum infideli.

Secundo. Utrum inter infideles sit matrimonium. Tertio. Utrum si alter conjugum infidelium convertatur ad fidem sine altero, possit in eodem matrimonio commanere.

Quarto. Utrum possit uxorem infidelem relinquere. Quinto. Utrum ea dimissa possit aliam ducere. Sexto. Utrum propter alia peccata vir possit dimittere uxorem, sicut propter infidelitatem.

### ARTICULUS I.

*Utrum fidelis possit matrimonium cum infideli contrahere.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod fidelis possit matrimonium cum infideli contrahere. Quia Joseph contraxit cum Ægyptia, & Esther cum Assuero. In utroque autem matrimonio fuit disparitas cultus: quia alter erat fidelis, alter infidelis. Ergo disparitas cultus præcedens matrimonium, ipsum non impedit.

2. Præterea. Eadem est fides quem docet vetus lex, & nova lex. Sed secundum veterem legem poterat esse matrimonium inter fidelem & infidelem, ut patet Deut. XXI. 10. *Si (3) egressus ad pugnam, videris mulierem pulchram in medio captivorum, & amaveris eam. . . introeas ad eam dormiens cum ea, & erit tibi uxor.* Ergo in nova lege licet.

3. Præterea. Sponsalia ad matrimonium ordinantur. Sed inter fidelem & infidelem possunt in aliquo casu contrahi sponsalia cum conditione futuræ conversionis. Ergo sub eadem conditione matrimonium potest contrahi inter eos.

4. Præterea. Omne impedimentum matrimonii est aliquo modo contra matrimonium. Sed infidelitas non est contraria matrimonio: quia matrimonium est in officium naturæ, cujus dictamen fides excedit. Ergo disparitas fidei non impedit matrimonium.

5. Præterea. Disparitas fidei est etiam quandoque inter duos baptizatos, sicut quando aliquis post baptismum in hæresim labitur; & si talis cum aliqua fideli contrahat, nihilominus est verum matrimonium. Ergo disparitas cultus matrimonium non impedit.

Sed contra est quod dicitur II. Corinth. VI. 14. *Quæ (4) conventio lucis ad tenebras? Sed maxima conventio est inter virum & uxorem.* Ergo ille qui est in luce fidei, non potest contrahere matrimonium cum illa quæ est in tenebris infidelitatis.

Præterea. Malach. II. 11. dicitur: *Contaminavit*

(1) Al. de indisparitate. (2) Al. Sed ad hoc esse aliquid illud &c. (3) Equivalenter non iis dem omnino verbis. (4) Vulgata, societas.

Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam dei alieni. Sed hoc non esset, si inter eos posset verum matrimonium contrahi. Ergo disparitas cultus matrimonium impedit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod principaliter bonum matrimonii est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter per patrem, & matrem, uterque secundum fidem intendit ad cultum Dei prolem educare: & ideo si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit; & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium: & propter hoc disparitas cultus praecedens matrimonium, impedit ipsum ne contrahi possit.

Ad primum ergo dicendum, quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permixtum quod cum eis possent inire conjugia, & de aliquibus prohibuit. Specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Chanaan: tum quia Dominus praecerat eos occidi propter eorum obstinationem: tum quia majus periculum imminabat ne conjuges, aut filios ad idolatriam perverterent: quia filii Israel ad ritus, & ad mores eorum proniores erant propter conversationem cum eis. Sed de aliis gentibus permisit, praecipue quando non poterat esse timor pertrahendi ad idolatriam; & sic Joseph, & Moyses, & Esther cum infidelibus matrimonia contraxerunt. Sed in nova lege quae per totum orbem diffunditur, similis ratio prohibendi est de omnibus infidelibus: & ideo disparitas cultus praecedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum.

Ad secundum dicendum, quod lex illa vel loquitur de aliis nationibus, cum quibus licite poterant inire connubia; vel loquitur quando illa captiva ad fidem, & cultum Dei converti volebat.

Ad tertium dicendum, quod eadem est habitudo praesentis ad praesens; & futuri ad futurum: unde sicut quando matrimonium in praesenti contrahitur, requiritur unitas cultus in utroque contrahentium; ita ad sponsalia, quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus.

Ad quartum dicendum, quod jam ex dictis patet quod disparitas cultus contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis.

Ad quintum dicendum, quod matrimonium sacramentum est: & ideo quantum pertinet ad necessitatem sacramenti, requiritur paritas quantum ad sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem: unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium, ut in III. Lib. dist. ix. q. 1. art. 1. quaestione. 1. in corp. dicitur est: & propter hoc si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam haeticam; sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur; & e contrario si aliquis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus cum aliqua fidei baptizata contraheret, non esset verum matrimonium.

ARTICULUS II.

Utrum inter infideles possit esse matrimonium.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inter infideles non possit esse matrimonium. Matrimonium enim est sacramentum Ecclesiae. Sed baptismus est janua sacramentorum. Ergo infideles, qui non sunt baptizati, matrimonium contrahere non possunt, sicut nec alia sacramenta suscipere.

2. Praeterea. Duo mala sunt magis impeditiva boni quam unum. Sed infidelitas unius tantum impedit matrimonii bonum. Ergo multo fortius infidelitas utriusque; & ita inter infideles non potest esse matrimonium.

3. Praeterea. Sicut inter fidelem & infidelem est disparitas cultus, ita interdum inter duos infideles, ut si unus sit Gentilis, & alter Judaeus. Sed disparitas cultus impedit matrimonium, ut dictum est. Ergo ad minus inter infideles qui habent cultum disparem, non potest esse verum matrimonium.

4. Praeterea. In matrimonio est vera pudicitia. Sed, sicut dicit Augustinus, Lib. I. de nupt. & concupisc. cap. IV. & habetur xxviii. q. 1. non est vera pudicitia infidelis cum uxore sua. Ergo non potest esse verum matrimonium.

5. Praeterea. Matrimonium verum excusat carnalem copulam a peccato. Sed hoc non potest facere matrimonium inter infideles contractum: quia omnis vita infidelium peccatum est, ut dicit Glossa (Augustini) Rom. xiv. Ergo inter infideles non potest esse verum matrimonium.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. vii. 12. Si quis frater habet uxorem infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Sed uxor non dicitur nisi propter matrimonium. Ergo inter infideles est verum matrimonium.

Praeterea. Remoto posteriori non removetur prius. Sed matrimonium pertinet ad officium naturae, quae praecedit statum gratiae, cujus principium est fides. Ergo infidelitas non facit quin sit inter infideles matrimonium.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod matrimonium principaliter institutum est ad bonum prolis, non tantum generandae, quia hoc sine matrimonio fieri posset, sed etiam promovendae ad perfectum statum: quia quaelibet res intendit effectum suum naturaliter perducere ad perfectum statum. Est autem in prole duplex perfectio consideranda, scilicet perfectio naturae non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam per ea quae sunt de lege naturae; & perfectio gratiae: & prima perfectio est materialis, & imperfecta respectu secundae. Et ideo cum res quae sunt propter finem, sint proportionatae fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem, est imperfectum, & materiale respectu illius quod tendit in perfectionem secundam. Et quia prima perfectio communis esse potest fidelibus, & infidelibus, secunda autem est tantum fidelium; ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum ultima perfectione, sicut est inter fideles.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium non tantum est institutum in sacramentum, sed in officium naturae: & ideo quamvis infidelibus non competat matrimonium, secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiae con-

consistens; competit tamen eis, in quantum est in officium naturae. Et tamen etiam matrimonium tale est aliquo modo sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiae.

Ad secundum dicendum, quod disparitas cultus non impedit matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide. Disparitas enim cultus non solum secundam perfectionem prolis impedit, sed etiam primam, dum parentes ad diversa prolem trahere intendunt; quod non est quando uterque est infidelis.

Ad tertium dicendum, quod inter infideles est matrimonium, ut dictum est, prout matrimonium est in officium naturae. Ea autem quae pertinent ad legem naturae, sunt determinabilia per jus positivum: & ideo si prohibentur ab aliquo jure positivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, disparitas cultus impedit matrimonium inter eos. Ex jure enim divino non prohibentur: quia apud Deum non differt qualitercumque aliquis a fide deviet quantum ad hoc quod est a gratia alienum esse: similiter, nec aliquo Ecclesiae statuto, quae non habet de his quae foris sunt, judicare.

Ad quartum dicendum, quod pudicitia, & aliae virtutes infidelium dicuntur non esse verae, quia non possunt pertinere ad finem verae virtutis, quae est vera felicitas; sicut dicitur non esse verum vinum quod non habet effectum vini.

Ad quintum dicendum, quod infidelis cognoscens uxorem suam, non peccat, si propter bonam prolem, aut fidei quae tenetur uxori, debitum reddat, cum hoc sit actus justitiae, & temperantiae, quae in delectabilibus tactus debitas circumstantias servat; sicut non peccat faciens alios actus politicarum virtutum. Nec dicitur omnis vita infidelium peccatum, quia quolibet actu peccat; sed quia per id quod agunt, a servitute peccati non possunt liberari.

ARTICULUS III.

Utrum conjux conversus ad fidem possit manere cum uxore infideli nolente converti.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod conjux conversus ad fidem non possit commanere cum uxore infideli nolente converti, cum quae in infidelitate contraxerat. Ubi enim est idem periculum, debet eadem cautela adhiberi. Sed propter periculum subversionis fidei prohibetur ne fidelis cum infideli contrahat. Cum ergo idem periculum sit, si fidelis commaneat cum infideli, cum qua prius contraxerat, & adhuc majus, quia neophyti facilius pervertuntur quam illi qui sunt nutriti in fide; videtur quod fidelis post conversionem non possit commanere cum uxore infideli.

2. Praeterea. Causa xxviii. q. 1. (cap. Judaei) dicitur: Non potest infidelis in ejus conjunctione permanere quae iam in christianam transiit. est fides. Ergo fidelis habet necesse uxorem infidelem dimittere.

3. Praeterea. Matrimonium quod inter fideles contrahitur, est perfectius quam illud quod contrahitur inter infideles. Sed si fideles contrahant in gradu prohibito ab Ecclesia, dissolvitur eorum matrimonium. Ergo & infidelium; & ita vir fidelis non potest commanere cum uxore infideli, ad minus quando cum ea in infidelitate contraxit in gradu prohibito.

In IV. Sent. Tom. V. q. 1. art. 2. dicitur: (1) In supplemento q. Lix. art. 3. sunt magis obstinati quam Gentiles, quia Gentiles adhuc intrabant & con-

4. Praeterea. Aliquis infidelis habet quandoque plures uxores secundum ritum suae legis. Si ergo potest commanere cum illis cum quibus in infidelitate contraxit, videtur quod possit etiam post conversionem plures uxores retinere.

5. Praeterea. Potest contingere quod repudiata una uxore aliam duxerit; & in illo matrimonio existens convertatur. Ergo videtur quod saltem in hoc casu non possit cum uxore quam de novo habet, commanere.

Sed contra est quod apostolus I. Corinth. vii. consulit quod commaneant.

Praeterea. Nullum impedimentum superveniens matrimonio, tollit ipsum. Sed matrimonium erat verum, cum uterque infidelis erat. Ergo quando alter convertitur, non dirimitur matrimonium per hoc; & ita videtur quod possint licite commanere.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod fides ejus qui est in matrimonio, non solvit, sed perficit matrimonium. Unde cum inter infideles sit verum matrimonium, ut ex dictis patet, per hoc quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum matrimonii solvitur, sed aliquando vinculo matrimonii manente solvitur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem; in quo pari passu currunt infidelitas, & adulterium, quia utrumque est contra bonum prolis. Unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Potest enim vir innocens libere cum adultera commanere spe correctionis; non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur parvos turpitudinis, ut supra dist. xxxv. q. 1. art. 2. dictum est; quamvis etiam cum spe correctionis possit eam libere dimittere. Similiter fidelis conversus potest cum infideli manere, cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit, & bene facit commanendo; tamen non tenetur, & de hoc est consilium Apostoli.

Ad primum ergo dicendum, quod facilius impeditur aliquid fiendum quam destruiatur quod factum est: & ideo magis sunt quae impediunt matrimonium contrahendum; si praecedant, quae tamen ipsum non possunt dissolvere, si sequantur, sicut de affinitate patet: & similiter dicendum est de disparitate cultus.

Ad secundum dicendum, quod in primitiva Ecclesia tempore Apostolorum passim convertebantur ad fidem & Judaei, & Gentiles; & ideo tunc vir fidelis poterat habere probabilem spem de conversione uxoris, etiam si conversionem non promitteret. Postmodum autem tempore procedente Judaei (1) sunt magis obstinati, & Gentes adhuc intrabant ad fidem, sicut tempore martyrum, & temporibus Constantini Imperatoris, & circa tempora illa; & ideo tunc non erat tanta fidelium cum uxore infideli Judaeae cohabitatio; nec erat spes de conversione ejus, sicut erat spes de conversione uxoris Gentilis; & ideo tunc fidelis conversus poterat cohabitare cum Gentili, sed non cum Judaea, nisi conversionem promitteret; & secundum hoc loquitur de eorum illud. Sed nunc pari passu auctantur utrique, scilicet Gentiles, & Judaei, quia utriusque obstinati sunt; & ideo nisi uxor infidelis convertatur, non permittitur ei cohabitare, sive sit Gentilis, sive Judaea.

Ad 3. dicitur: In supplemento q. Lix. art. 3. sunt magis obstinati quam Gentiles, quia Gentiles adhuc intrabant & con-